

PODOSPERMUM ERIOSPERMUM Boiss. in Kotschy pl. Pers. Febr. 1845.

P. perenne, rhizomate petiolis vetustis valde squamoso, foliis radicalibus in petiolum latum attenuatis caulinisque elongatis pinnatipartitis rhachi longissimâ lineari laciniis longis remotis patulis deflexisve lineari-subulatis apice lanato-penicillatis caeterum sub lente parce puberulis caulinis brevioribus laciniis angustissimis, caulibus elatis parce foliosis 2-5 cephalis, pedunculis elongatis nudis, involucri tomentelli squamis inferioribus dimidio brevioribus triangularibus lanato-penicillatis internis lanceolatis glabrescentibus, flosculis exterioribus involucreo subduplo longioribus, acheniis cylindricis praeter collum basilarem glabrum *ad- presse lanatis* pappo eis paulo breviori terminatis.

Hab. in rupestribus et arenosis apricis *Persiae australis* prope ruinas *Persepolis* Kotschy No. 275.

Caules sesquipedales. Habitus et capitula *P. Jacquini* et *Cariensis* quibus accedit et abs quibus acheniis lanatis nec glaberrimis egregie differt. Prior species caeterum a nostrâ distinguitur foliorum laciniis apice non lanatis, secunda radice bienni.

PODOSPERMUM PHAEOPAPPUM Boiss.

P. glabrum, radice caule erecto folioso striato basi parce ramoso caeterum simplici, foliis late linearibus apice attenuato-acuminatis margine undulato-crispis, capitulis ad extremitatem caulis et pedunculorum lateralium maximis pedunculo longo nudo incrassato valde striato suffultis, involucri glabriusculi squamis exterioribus triangularibus intimis triplo longioribus lanceolatis striatis, floribus . . . , acheniis erostratis cylindricis exterioribus paulo brevioribus muricatis interioribus sublaevibus, stipite cavo dilatato brevi, pappi achenium subaequantis *setis basi dilatatis nigricantibus* plumis sordidis, setis internis longioribus apice nudis scabris.

Hab. in *Kurdistania* inter *Diarbekir* et *Mardin* Kotschy herb. Mus. Vindob. No. 251.

Planta pedalis, folia semipedalia 4-5 lineas lata, capitula e maximi generis, achenia cum pappo bipollicaria. Prope *P. molle* et *villosum* collocandum abs quibus capitulorum magnitudine, acheniis valde muricatis, pappi colore etc. differt. Affine quoque *Scorzonerae Cariensi* meae, quam quoque *Podospermo* adnumeravisse nisi in eâ stipites cavus basilaris brevissimus esset et quae a *P. phaeopappo* foliis